



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus XIII. De Clamydum depositione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

accedunt vel transeunt per medium sive in choro, sive in Refectorio, &c.

3. Sub mensa sunt capite detecto ad benedictionem usque dum Præses signum dederit pro apponendis cibis. Dum Præses Communitatem alloquitur. Dum tabula Officiorum vel Patentes seu Mandata generalium, Prælatorum vel R. P. Ministri Provincialis leguntur. Post lectam Regulam ad ejus confirmationem, post lectum Testamentum ad benedictionem & maledictionem & ad verba exhortativa sanctissimi Patris nostri. Post mensam dum leguntur gratiæ. Tempore refectionis ad nomina JESUS, MARIA, &c. caput non denudatur sed tantum inclinatur.

4. In Missa: ad omnes Collectas. Ad Hymnum Angelicum, Evangelium, Symbolum, Præfationem, & à tintinnatione præliminari usque ad finem. Ad *Hæc est, &c.* & generaliter ad omnia tam in Missa, quam Horis, ad quæ nos ad altare convertimus aut inclinamus.

5. Quando præterea caput denudandum v. g. transeundo templum, cæmeterium: imagines Crucifixi, B. M. V. &c. aut alias honestas personas, devotio & urbanitas cuius dictabit.

6. Qui ob senium, aut quia catharrosi, aut ob aliam justam causam ad omnia supra dicta non possent absque notabili gravamine esse capite detecto, causam Superiori significant & habeantur excusati.

7. Ad alia hic non expressa, nisi honestas in quibusdam circumstantijs vel occurrentijs aliud dicter, poterunt esse capite tecto vel nudato, prout cuilibet fuerit commodum.

TITULUS XIII.

De Clamydam depositione.

1. **F**Ratres Sacerdotes Clerici & Laici sub Instructore existentes, à festo *Philippi & Jacobi* usque ad festum *Michaelis* in Conventu

S 2

non

non utuntur pallijs. Idem per totum annum ad domum Capitularem quando servandum Capitulum & ad Refectorium sine pallijs conveniunt : à festo tamen *Michaëlis* usque ad Majum exclusive , si in frigore commesturi , poterunt ad domum Capitularem pro legendo *De profundis* , & ad Refectorium palliati accedere. Ingressuri calefactorium , exceptis Prælati & Senibus pallium deponant.

2. Qui pulsant , lampadem , aut candelas in altari accendunt aut extinguunt. Qui in medio chori aliquid legunt vel cantant. Cantores dum in medio Antiphonas offerunt. Semper ad preces in cruce. Ad omnem expositionem & repositionem Venerabilis Sacramenti. Dum quis in Communitate culpam agnoscit aut pœnitet aut benedictionem petit. Lector mensæ ad *Iube Domne benedicere* , & finitâ mensâ ad *Tu autem Domine*. Ille cujus leguntur obedientiales, ad verba *TIBI IN VIRTUTE Sanctæ Obedientiæ* , dum admittendus ad professionem , aut sacros ordines vel per obedientiam ad alium Conventum migraturus consuetam facit petitionem. Ad Confessionem sacramentalem , item dum datur absolutio generalis. Qui ingrediuntur cameras A. R. P. Ministri Provincialis. Item Fratres Clerici & Laici sub Instructore ingredienti camera P. Guardiani chlamydem deponunt.

3. Ordinarij Ministri mensæ, item qui apponunt panes, cerevisiam fundunt , aut quid notabile ministrant Communitati, deponunt chlamydem , qui vero extra ordinem aliquid parvi momenti ministrant, aut portionem aliquam ab uno ad aliud latus deferunt , &c. necesse non est , quod idcirco Clamydem deponant.

3. Officiator chlamydem deponit dum Officiû inchoat, & ad Collectas Fratres interserviunt Sacris in Ecclesiis nostris sine clamyde, quam in alienis non deponunt.

TITULUS XIV.

De Signo Crucis formando.

1. **P**ollice omnes os signant signo crucis dum dicitur, *Domine labia :*
item ille qui oscitat. Pectus pollice signat , dum sonus horæ
auditur,